

32

1733, 21.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IO. FLORENS. RIVINVS
PAND. P. P.

Quartio

*an in reprobatione iuramenti delatio locum
habeat super capitibus, quae tanquam inter-
rogatoria contra articulos probatoriales iam-
iam inducta sunt.*

LECTORI
BENEVOLO

S. P. D.

D. IO. FLORENS. RIVINVS

PAND. P. P.





IN modo articulandi, non exi-
gua Iurisprudentiae nostrae
forensis pars deprehenditur;
hinc vulgo credunt, habili-
tatem eorum, qui causas alio-
rum in foro tuentur, optime
exinde cognosci posse, si li-
bellum et articulos proba-
toriales rite concipere didicerint; cum, fundamen-
to bene jacto, et probatione solide ordinata, defini-
tivia deinde ex voto speranda sit sententia. Proinde
MARCELLVS CALA integrum de hoc argumen-
to edidit tractatum. At enimvero, multi Advoca-
torum, articulos probatoriales, vel ex iuris, vel
facti ignorantia, quandoque ex malitia, generaliter
nimis aut obscure, vel captiose concipere solent,
quod iudicantes improvidos fallere aliquando pos-
set. Quibus calliditatibus et machinis obuiam ire,
atque charybdim euiare licebit per interrogatoria,
quae ad enodandos et explicandos articulos et ad
indagandam veritatem aduersae parti reseruata sunt.
Quae quidem ab interrogationibus in iure facien-

) 2

dis,

dis, de quibus extat in *Pandectis Tit. I. Lib. XI. et*
FRANC. CVRTII liber singularis *Venet. iam an. 1584.*
editus, nec non superiore anno noua tradere stu-
duit libello itidem singulari Lugduni exhibito, *IO.*
WYBO, penitus diuersa sunt, moribus tamen Roma-
norum non plane incognita fuere, prout ex *L. 3. ff.*
de testibus apparet, secundum quam in persona te-
stium exploranda in primis cuiusuis conditio, quod
vel a iudice ipso ex officio, vel etiam a parte aduer-
sa, praesente tamen iudice, per interrogatoria factum
fuisse persuasum habemus v. *RVTGER. RVLAND*
de Commissar. P. I. L. l. c. 1. n. 5. sq. quamuis Iure Cano-
nico *c. 37. x. de testib. et attest. et c. 2. de testib. in 610* di-
ferte magis approbata sint. Hae quaestiones, et-
iamsi ad ipsa causae merita directae sint, et articu-
lis probatorialibus e diametro contradictorie oppo-
nantur, non improbandae sunt vid. *Enunc. nostr. ad*
Tit. XX. En. XLII. Sed, AN REVS, QVI EX-
HIBVIT INTERROGATORIA, CIRCA ARTI-
CVLOS PROBATORIALES, POSTEA IN RE-
PROBATIONE SVPER IISDEM CAPITIBVS,
ARTICVLIS REPROBATORIALIBVS REPETI-
TIS, ADMITTI DEBEAT AD IVRAMENTI
DELATIONEM? disquisitione digna est quaestio.
Nec desunt in vtramque partem praegnantibus ra-
tiones. Pro negatiua faciunt: quod pars litigans
super vno eodemque articulo, probatione per tes-
tes aut documenta coniunctim cum iuramenti de-
latione, vti prohibeatur, proinde vna eademque
ratio subesse videatur, si reus facta contraria et ex-
ceptiones suas peremptorias interrogatoriis, ad quae
testes ab actore nominati examinari debent, inclu-
dat,

dat, ac mox eadem capita, quae prius interrogatoriis incluserat, in reprobatione repetat et actoris conscientiae committat, quo non magis ac is, qui simul sub ipsis articulis testes nominat et iuramentum defert, audiendus esse videtur. Quod si enim actor acceptaret delatum iuramentum idque praestaret, postea vero publicatis attestacionibus ex dictis testium iuratorum, contrarium appareret, iudex dubius haereret, an iuramento praestito effectum tribuere; an ob suspicionem, periurii illud negligere et potius duorum pluriumue testium assertis fidem habere debeat. Hinc DOMINI SCABINI LIPSIENSES obuenient tali casu *Mense Mart. 1696. ad Regimen Sondershusanum in causa A. H. contra A. C. v. T.* actorem immunem a responsione ad articulos probatoriales, de quorum contentis eidem iuramentum reus detulerat, pronunciarunt. Affirmantes e contrario, ea quae de prohibita cumulatione iuramenti cum alio probandi modo disposita inveniuntur, ad reprobationem et oblationem interrogatoriorum non extendi, neque haec ad illam, utpote plane diversa invicem, referri debere contendunt; cum hic non mutetur qualitas producti, nec interrogatoria dans probationem intendat, sed id tantum agat ut ambiguitatem vel obscuritatem articulorum adversarii corrigat, confusas circumstantias fecernat, atque periculum exinde sibi metuendum avertat, adeoque hoc beneficio ex legis provisione promanante, claram reddat testium depositionem, nec propterea excidere debeat commodo alias et generaliter reservatae reprobationis, intuitu cuius indefinite iuramenti delatio ipsi indulta.

Hoc enim concessio, reo id quod per rem iudicatam directo absque omni datum exceptione, indirecte adimi, vrgent; et, sicut actori integrum fuerit, susceptae probationi, ad elidendam intentionem rei excipientis, articulos elisivos per iuramentum probandos, iungere, ita quoque reo vel producto liberum esse debere, salvo caeteroquin iure reprobationis interrogatoriis vii. Caeterum contrarietate forte fortuna ex depositione testium apparente, semper iuramentum illam vincere debere statuunt, quippe iuramentum vicem transactionis contineat, et reus sibimet imputare debeat, quod non tam fidem testium eligere, quam aleam iuramenti subire voluerit. BARTH. *Hodoger. Forens. Cap. I. §. XLII. lit. c. num. 5.* Quae rationes mouerunt ante laudatos DN. SCABINOS LIPS. vt ab illa sua opinione discederent consultante S. N. *Torgauiae Mense Aug. 1699.* quod responsum exhibuimus *in Enunc. XLIII. Tit. XXI.* nec compertum habemus cui hodiernum faueant sententiae. Ordo noster accessit priori negatiuae *Mens. Mai. 1732. ad int. Praesef. Laubstad. in causa K. contra M.* et cum his diebus iterum Acta a *Dynastiae Voigstadiensis Directore in causa R. S. contra S. K.* ad nos transmitterentur, in quibus partes operose hanc quaestionem ventilauerant, religioni duxit illam, quae semel placuerat, deferere sententiam. Incerto igitur hac etiam in parte, ob variantem fori obseruantiam vtimur iure. Nobis in mentem venit, an non expediat moderamen aliquod adhibere, et neque prorsus admittere nec penitus improbare iuramenti delationem, sed potius eiusdem actualem praestationem, donec attestata testium publicata fuerint,

rint, differre, aut nondum peracta probatione et reprobatione, saltim quoad passus hosce interea statim euoluere, atque tum, si perspectis testium dictis appareat, hos factum vel negare, vel affirmare pure, frustraneam iuramenti praestationem omittere, sin secus, testesque vel plane nihil, vel dubie deposuerint, saluam seruare iurandi necessitatem. Iniquum enim videtur excludere velle reum a modo probandi per iuramentum, cum interrogatoriis, quae tantum ad eruendam veritatem probationis tendunt, non confundendo, nec concurrente; Et, quid si fortasse vnus alterue testis testimonium ex iusta causa recuset, vel ante productionem decedat, interea vero temporis fatale reprobationis, quod hodie propemodum pari passu cum probatione ambulat, praeterierit? anne tum ob denegatum regressum ad iuramenti delationem, partes rei, quae alias semper fauorabiliores funto, improbato iuramenti vsu, deteriores reddemus, ita vt nunc commodo vtriusque probationis excidat? Durior foret haec sententia ipsis legibus ipsaque sententia interlocutoria, quae absolute potestatem iuramenti reo faciunt. Sed et aliae disceptationes nunc commemorandae sunt, quas sub meo moderamine, Iurium Cultores quidam Nobilissimi

DN. IOHANNES GODOFRE-
DVS TRENCKMANN, Ge-
ringswald. Misn.

DN. CHRISTIANVS GOTT-
HELF MAEDERIAN, Grimm.
Misn.

DN.

DN. IOHANNES GEORGIUS
LAVTENSCHLAGER, Geranus.

DN. CHRISTIANVS HOLTZ-
WEISSIG, Lipf.

DN. IOHANNES DANIEL GEISLER,
Budiff. Lufat.

DN. IOHANNES GOTTFRIED
SCHARFENBERG, Seruefta
Anhalt.

DN. CHRISTIANVS GEBHARD
HEVKENROTT, Prieftebl. Mifn.

DN. CHRISTIANVS GOTT-
LIEB STEINDORF, Cygn. Mifn.

respondendo et opponendo, ad *Libros pandecta-
rum XI. sequentesque usque ad XIIII.* ordine hic de-
scripto, Publice in Auditorio Iurisconsultorum, Die-
bus Saturni, quos publice indicabimus, instituere
constituerunt. His vt adfint frequentes, Genero-
sissimi et Nobilissimi eorundem commilitones, ii in-
primis qui eadem cum illis castra sequuntur, eosdem
humanissime inuitatos cupimus. Dab. Lipsiae
Dom. Oculi MDCCXXXIII.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.


Leipzig, Diss., 1733
(1)

W18

ULB Halle
004 757 866 3







1733, 21.
32

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. FLORENS. RIVINVS
PAND. P. P.

Quaestio

*in reprobatione iuramenti delatio locum
beat super capitibus, quae tanquam inter-
atorna contra articulos probatoriales iam
iam inducta sunt.*

